



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 97. Calvinistarum Conventus Gratianopoli habitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. rum, qui spurium ejusmodi edictum
 A. C. 1615. Parisiensi Curia adscribere, præsum-
 pserunt: Sub idem ferme tempus Rex
 Le Jayum Præsidem Condæo addictum
 in arce Ambatiana includi præcepit,
 rursus vero Parliamentum missis ad Re-
 gem Deputatis eundem e carcere liberari & si legitima detentionis causa sub-
 esset, eam exprimi petebat. Hac au-
 tem iterata oppositione in Condæi fa-
 vorem facta, Regi suspecta esse cœpe-
 rat Parisini sui Senatus fides: unde
 non modo Parisiis validum alebat exer-
 citum, sed etiam Pictonum Provinciam
 numerofo milite inundabat.

§. XCVII.

*Calvinistarum conventus Gratiano-
 poli habitus.*

*Merc. Gal-
 lobelg. t. II.
 l. I.
 Gramond.
 l. c. p. 95.*

Vicissim Condæus Princeps exercitum
 suum novis indies supplementis au-
 ctum in Pictaviensem ditionem pariter
 inferre nitebatur, quocirca a duobus
 validis exercitibus hæc Provincia gra-
 viter pressa pene exhauriebatur. Erat
 tum fœda ubique rerum facies, agro-
 rum vastatio, domorum, villarumque
 incendia, urbiumque direptiones, in-
 super etiam premebantur coloni novistri-
 butis, quæ Fæderati veluti Reges indi-
 cebant, juxta morem Gallis Principi-
 bus,

bus, dum in seditionem armantur, usi-
 tatum: inde vero desolatio, commu-
 nisque ruina, geminata in populum
 tributa, nec tamen remissa pensione,
 quæ in Regis ærarium inferri jubeba-
 tur: Ceterum præcipuus Regi metus
 erat a Calvinistis, quos utpote dissidii
 amantes inque res novas promptos
 cum Condæo clandestina fovere con-
 silia haud ignorabat: Enimvero hic
 Princeps, ut Calvinistas sibi concilia-
 ret, jam dudum eisdem exponi cura-
 bat, quod nuptiæ Regis cum Hispana
 Principe duntaxat ad eorum sectam e
 Galliis exterminandam, illosque a Re-
 gno ejiciendos comparatæ essent: Re
 comperta Calvinistæ eam ob causam
 Gratianopoli die decima quinta Julii
 conventum celebrabant, in quo Ledi-
 gerius Marescallus Religione Calvinista
 præprimis dissuadere nitebatur, ne in-
 scio Rege suum Conventum aliorum
 transferrent, nec etiam se Regis matri-
 monio opponerent, ne exinde seditionis
 in Regno excitatæ labes Ecclesiæ
 suæ inuratur, sublatoque Religionis
 Exercitio ducentæ & amplius Ecclesiæ
 annis octodecim non sine magno impen-
 dio excitatæ dissipentur, atque a Jesui-
 tis, qui nullam rei gerendæ occasio-
 nem negligere solent, pedibus quasi
 conculcentur: Nihilominus Calvinistæ,
 Ee 3 post-

Sæc. XVII.

A. C. 1615.

Sæc. XVII. postquam Condæum cum valido exercitu in Pictonibus castra metari, ac Luxemburgensem exercitum a Regiis fuisse interceptum compererant, ad Condæum e suorum numero selectos, qui de communi causa cum ipso deliberarent, ablegarunt, ipsique in scio Rege conventum suum die sexta Octobris Gratianopoli Nemausum, inde vero Rupellas transfulerunt, ut eo opportunius sua arma seditiosis Principibus conjungere valerent.

§. XCVIII.

Leges a Calvinistis in suo Conventu Regi præscriptæ.

Nunquam luculentius quam in hac ipsa seditione Calvinistarum indoles innotuit; eodem enim tempore, quo immotum suum erga Regem studium, ac Regiæ auctoritatis, salutisque tuendæ sollicitudinem verbis deprædicarunt, omnia in bellum contra Regem parata tenebant, Oratores suos sedus cum rebellibus inibant, ac legitimum suum Regem minis & armis ad leges & pacta juxta eorum arbitrium firmanda compellere nitebantur; hanc in rem in suo Conventu in hæc quindecim capita a Rege expetenda cum Principum Deputatis convenerant.

I. Con-